


plisse videmur, id monumentis consignatum tibi dedicandum duximus, ut qui feliciter cum in omnibus disciplinis, tum vel maximè in Geometria versatus, scitè ac prudenter iudices ea, quæ dicturi sumus: Ob eam verò, quæ tibi cum patre fuit, vita consuetudinem, quæq; nos complecteris, benevolentiam, tractationem ipsam libenter audias. Sed iam tempus est, ut proæmio finem facientes, hanc syntaxim aggrediamur.

Theorema I. Propositio I.

Perpendicularis linea, quæ ex circuli cuiuspiam centro in latus pentagoni ipsi circulo inscripti ducitur; dimidia est vtriusque simul lineæ, & eius, quæ ex centro, & lateris decagoni in eodem circulo inscripti.



Theorema 2. Propositio 2.

Si binæ rectæ lineæ extrema, & media proportionè secantur; ipsæ similiter secabuntur, in easdem scilicet proportionès.

Theorema 3. Propositio 3.

Si in circulo pentagonum æquilaterum inscribatur; quod ex latere pentagoni; & quod ex ea, quæ binis lateribus pentagoni subteditur, recta linea; vtraque simul quadrata, quintupla sunt eius, quod ex se midiametro describitur, quadrati.